Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 913
Quelle:
Copyright:

Congrega mihi &c. Nec hic Codex C. XXI. excurrit ultra: *Qui cadens apertos habet oculos.*

A *fol.* 72. p. 2. *Incipiunt Capitula Libri Deuteronomii.* Cenſentur in edit. XXVIII. in Codice XXVI. reipſa vero tantum XXIV. ultima enim II. *Joſuae* ſunt, quod Librarius diſſimulavit. Abſunt autem a Codice C. XVII. XIX. XX. et XXIII. Eadem conſtitutio eſt Codicis ſupra memorati e I. *Vol.*

A *fol.* 82. *Incipiunt Capitula Libri Judicum.* Capitula utrobique VIII. Initia ſaepe verbis variant.

A *fol.* 86. *Incipiunt Capitula Libri Regum.* Edita habent XV. Codici primum breve deeſt, unum etiam locum mutavit.

A *fol.* 92. *Incipiunt Capitula Libri II. Regum.* Idem utrinque numerus XV. Finis C. XI. *non vult vindicare* in edit. In Cod. ſupracit. *non vult videri*, In Cod. praeſenti *non vult videre.*

A *fol.* 98. p. 2. *Incipiunt Capitula Libri* III. In edit. XIII. ſed in Codice poſtremum in duo dividitur, nec id ſine exemplo, ut notarunt *Mauriani*, et nos *Vol.* I.

A *fol.* 104. ſine inſcriptione Capitula L. IV. quorum cum edit. XI. numeramus.

A. *fol.* 109. *Incipiunt capitula Libri Pſalmorum.* Horum in edit. ſunt CCLXXXVII. in Codice vero tantum CLXXXVI. deprehenditurque e collatione eadem fere deficere, quae ad Exemplar ſaepe dictum *Vol.* I. P. 1. *col.* 958. deſiderari laborioſe adnotavimus.

A *fol.* 155. *Parabole Salomonis.* Nullus hic nobis Capitum Index. Adſunt tamen omnia, quae in edit. Capitibus XXXVII. comprehenduntur; imo ad C. XXXV. nobis additur: *unde in euangelio ueritas dicit: cui multum datum eſt, multum requiretur ab eo;* et C. poſtremum poſt verba: *etiam robuſta deperire*, in continuando *Gregorii* L. V. *in Job. n.* 85. 12. lineas usque ad verba *caritati contradicat*, inſumit, quod facit et Codex noſter *Vol.* I. et teſtibus *Mauriani Vaticanus.*

A *fol.* 162. Series L. Capitum, quibus pariter Loca *Parabolarum* in diverſis Operibus ſuis a *Gregorio* illuſtrantur. Nullus iis praefixus Index. Caput I. ſic habet: *Cor Sapientium ſibimetipſi ſemper eſt ſimile, quia dum rectis perſuaſionibus acquieſcit, conſtanter ſe in bono opere dirigit. Cor ſtultorum, ut ait Salomon, diſſimile eſt, quia, dum mutabilitate ſe uarium exhibet, nunquam id, quod fuerat, manet.* Habetur iſtud *Proverb.* XV. v. 7. Commentatio vero *Gregorii* in *Regula Paſtor.* P. III. c. 18. Caput poſtremum illud C. XXXI. v. 27. *Conſiderat ſemitas domus ſuae* &c. de ſancta Eccleſia exponit. Nihil *Mauriani* de repetita hac *Parabolarum* excerptione; nullo igitur in Codice eam inveniſſe videntur. An vero ſit *Paterii?* Dicam, quod ſentio, et quidem eorum *Praefatione* nixus, in qua repraeſentatur ex *Herimanni Chronico S. Martini Tornac. Alulfus* monachus *omnes libros b. Gregorii ſaepius relegens, et imitatus Pate-*